



**Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

**Luxemburgi, 1740**

XIV. Moderno, & pro tempore existentibus Aretinis Episcopis, Pallii usus, &  
Crucis prælatio Bullarii Romani Contin. Pars VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](#)

Occidentalium Collegia, sicut præmittitur, excepta, per Nos declarari, & ad majorem cautelam, ac quatenus opus sit, illud in pristinum, ac eum, in quo antequam hujusmodi Decretum, ac litera Benedicti Prædecessoris emanarent, erat, statum restitui & reintegrari summopere desideret; quum æqui bonique ratio posstet, ea, quæ ab initio provide constituta fuerunt, ubi nihil postmodum contigerit, quod contrarium suadeat, minime immutari; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignarum.

Quod San-  
ctissimus  
D.N.de con-  
filio ejusdem  
S. Congr. de  
Propag. Fi-  
de indulger,  
hocce Semi-  
narium foli  
Ministro Ge-  
nerali Ordini-  
nis subje-  
ctum decla-  
rans.

Præsentium  
Literarum  
obligantia.

¶. 5. Nos igitur ipsius Bernardini votis hac in re, quantum cum Domino possimus, favo-  
rabiliter annuere cupientes, eumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliquis Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innovatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolven-  
tes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, prædictis negotiis Propaganda Fidei præpositorum, qui relationem dilecti filii nostri Nicolai ipsius S. R. E. Cardinalis Spinula nuncupati sibi desuper factam audiverunt, remque ma-  
ture perpenderunt, consilio, præfatum Colle-  
gium sive Seminarium Castrum de Ozzier sub jurisdictione, obedientia & regime Superioris Generalis Ordinis prædicti juxta formam literarum ipsius Innocentii Prædecessoris continuandum esse, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & declaramus: salva tamen semper in præmissis au-  
toritate primidæ Congregationis Cardi-  
nalium.

¶. 6. Dernentes, easdem præsentes lite-  
ras firmas, validas & efficaces existere, &  
fore, usque plenarios & integros effectus  
fortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat  
& pro tempore spectabit, plenissime suffragari,  
& ab eis respective inviolabiliter observari;  
Sicque in præmissis per quoscumque Judices  
Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum  
Palati Apostolici Auditores, judicari & defi-  
niri debet; ac irritum & inane, si seces super his a quoquam quavis auctoritate scien-  
ter vel ignoranter contigerit attentari. Non  
obstantibus præmissis, ac Constitutionibus &  
Ordinationibus Apostolicis; necnon, quare-  
nus opus sit, Ordinis, Provincia, & Conven-  
tus hujusmodi, etiam juramento, confirmatione  
Apostolica, vel quavis firmitate alia ro-  
boratis statutis & consuetudinibus, privile-  
giis quoque, indultis, & literis Apostolicis in  
contrarium præmissorum quomodolibet conces-  
sus, confirmatis & innovatis. Quibus om-  
nibus & singulis, illorum tenores præsenti-  
bus pro plene & sufficiente expressis, ac ad  
verbū insertis habentes, illis alias in suo ro-  
bore permanens, ad præmissorum effectum  
hac vice dumtaxat specialiter & expresse de-  
rogamus, certeisque contraria quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem  
sub Annulo Piscatoris, die 16. Octobris 1730.  
Pontificatus Nostri anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Moderno, & pro tempore existentibus Aretinis  
Episcopis, Pallii usus, & Crucis prælatio per-  
petuo conceduntur.

CLEMENTS EPISCOPUS,  
Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei  
memoriam.

Insignes Ecclesias, quas beneficiis amplioribus  
divina clemens cumulavit, nec temporalis  
modo honoris titulis, sed religionis potissimum  
& sanctitatis splendore voluit eminere, par est,  
ut Apostolica etiam Romani Pontificis liberali-  
tas ad sacra dignitas incrementum præcipuis  
favoribus & privilegiis ornet & augeat.

¶. 1. Cum itaque Ven. Frater Joannes An-  
tonius modernus Episcopus Aretinus, nostræ  
secundum carnem Sororis filius, ex Ordine  
Fratum Beatae Mariae de Monte Carmelo Ex-  
calceatorum, ob præclaras ejus virtutes ad Ec-  
clesia Aretina regimen evocatus, & commissæ  
sibi Sponsa merita, prout providum decet spon-  
sum, promovere cupiens, Nobis exposuerit,  
Ecclesiam Aretinam hujusmodi tam conspicuas  
sacrae antiquitatis, illibataeque Religionis orna-  
mentis, tantaqæ Diœcesis amplitudine, Cleri  
Populique & Vassallorum frequentia celebrari,  
ut inter primarias Herruræ non immerito nu-  
meretur: Eam nimur Nobis & Sedi Aposto-  
lica immediate subjectam, & fide incorrupta,  
perpetuoque communionis fædere conjunctam,  
Beati Satyri primi ejusdem Ecclesie Aretina Ant-  
istitis, successoris ejus Donati, aliorumque sex  
Sanctorum Episcoporum meritis & virtutibus  
illustrari: Martyres etiam ecclæ dedisse comp-  
lures, eorumque duo millia & sexcentos  
una die fuisse pro Christo immolatos, quo-  
rum Reliquiæ etiam nunc Cathedralis, aliae-  
que Ecclesie locupletantur: Diœcesis quoque  
tam late undique patere atque diffundi, ut  
undecim finitimus Diœcesis terminetur, in-  
gentique animarum numero frequentari, in  
Parochias tercentas & sexaginta distributo;  
Tum, præter Pagos & Vicos supra centum,  
snu suo completi Oppida duodecim sacris  
Ecclesias conspicua, quarum nonnullæ insignes  
Collegiate sunt, nitore & cultu præstantes;  
idque etiam postquam ex ipsius Aretina Ecclesie  
Territorio quatuor Diœceses detracitæ, sive  
dismembratae sunt, aliaque tres non exigua  
accessione ex ejusdem Territorii partibus ac-  
creverunt: Ad ejusdem etiam Ecclesie splen-  
dorem dignitatemque pertinere, quod e sua  
Diœcensi tres Romanos Pontifices prædece-  
sores nostros, Pium I. I., Julium III., Mar-  
cellum itidem Secundum ad universali Ecclesie  
regimen eduxerit: Inter celebres præter-  
ea Aretinos Episcopos recenseri Theobaldum  
Fratrem Bonifacii, olim Marchionis Tusciae  
Patris Comitissæ Matildis, egregie de Romana  
Ecclesia, ac de Aretina etiam merita; in cujus  
Diœcensi tres peramplas, & ad nostra usque tem-  
pora superstites ære suo excitavit, opibusque  
instruxit Ecclesias: Plures itidem magni nominis  
bo. me. S. R. E. Cardinales, dum vixerunt, Ria-  
rium, Ermellinum, Bonuscum nuncupatos, nec  
ita multo pridem ex nostra Gente Nereum Cor-  
sinum Patrum nostrum eidem Ecclesie lauda-  
biliter præfuisse: Suam denique Diœcesis ge-  
mino Sanctuario ob Beatorum Virorum seculorum  
longe celeberrimo mirifice insigniri, Montis  
videlicet Alvernæ, ubi Franciscus Ordinis Fra-  
trum Minorum institutor sacris Stigmatis  
miræ Dei gratia impressus est, necnon Ca-  
malduensem, in quo Romualdus aliquandiu  
vitam eremiticam duxit, & in quo etiam  
nunc Aretini Episcopi ob lata fundia, jam pri-  
dem a suis Antecessoribus liberaliter illi con-  
cessa, præminentias & jurapatronatus honori-  
ficæ servant & retinent: Quidam etiam in ejus-  
dem Diœcesis snu olim fuisse conclusum &

compre-

ANNO  
1730.Aliaque non  
nulla.Episcopo-  
rum etiam in  
temporali-  
bus præroga-  
tivæ.

comprehensam sacram Accone Eremum, ubi Beatus Bernardus Ptolomeus fundamenta jecit Congregationis Olivetanae, cuius Regulam Guido Episcopus Aretinus ex Apostolica facultate probavit, & cui candidum Habitum cum Religionis insignibus impertivit: Ad hæc autem spiritualia ejusdem Ecclesia decora accedere non obcluras temporalis juris prærogativas, cum Episcopi Aretini pro tempore existentes Comitatus Cesæ Domini etiam in temporalibus existant; ac olim Romani Imperii Cancellarii fuerint in Tuscia, totiusque amplissimæ Dioecesis temporale etiam dominium habuerint.

§. 2. Quapropter memoratus Joannes Antonius Episcopus, tot tantisque Ecclesia sua Aretinae meritis subinxus, plurimum cupiat, ut a Nobis per Apostolica munera nostra, ut infra clarienda, tanto meritorum hujusmodi decori claritas augeatur, & honor; Nos propterea ad eximias ejusdem Ecclesiæ dores animum nostrum advertentes, considerantesque, quod Sedes Apostolica æqua munerum suorum dispensatrix nullas Ecclesias, etiæ Primali vel Patriarchali aut Metropolitico minime decoratas titulos, multiplici tamen singularium prærogativarum cumulo, celebrique suorum, & ex eis nonnullorum, qui pro tempore fuerunt Beatorum Praesulum illustratas Sanctitate, metropoliticis in eorumdem suorum pro tempore existentium Praesulum persona decorare consuevit in signibus; proindequæ Divinam gloriam in diæta Ecclesia Aretina amplificare, & Beatorum cultum, quorum ibi sacra Corpora religiosissime asservantur, præsertim præfati Beati Donati, & Gregorii Papæ X. prædecessoris nostri, quos præcipuus habet & colit Ecclesia illæ Patrimonios, augere: necnon ipsius Ven. Fratris Joannis Antonii Episcopi votis obsecundare: eximioque amori, quo antedictus Cardinalis Neurus Patruus Noster Ecclesiæ suam Aretinam complectebatur, respondere: & nostri pariter perenne aliquod monumentum extare volentes, ipsumque Joannem Antonium Episcopum a quibusvis &c. censentes, necnon omnia & singula privilegia & indulta Apostolica, seu quavis alia auctoritate eidem Ecclesia Aretinæ, illiusque Praesuli pro tempore existenti, si quæ sint quomodolibet concessæ, præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolica potestatis plenitudine eidem Joanni Antonio Episcopo & successoribus ejus Aretinæ Episcopis pro tempore existentibus, ut ipsi imposterum perpetuis futuris temporibus Pallio, Insigni videlicet plenitudinis Pontificalis officii, ex eorum parte a Nobis & pro tempore existente Romano Pontifice per eorum proprium nuncium ab eis destinandum cum ea, qua decet instantia, postulando, & de Corpore Beati Petri sumendo, sumptumque per unum & alterum Archiepiscopos, seu Episcopos eis sub forma a Nobis & Romano Pontifice pro tempore existent. assignanda, eodemque Pallio intra dictam Ecclesiæ Aretinam diebus a Nobis, ut infra assignandæ, uti; necnon Crucem in Diœcesi Aretina ferre ad instar Picinæ. & Bambergensis Episcoporum libere & licite possit & valeant, Apostolica auctoritate perpetuo ex gratia speciali, quæ minime transeat in exemplum, concedimus, & induigemus.

§. 3. Dies autem, quibus Pallio præfato uti possunt, hi sunt, videlicet: Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Stephapi Protomartyris, & Joannis Evangelistæ, Circumcisio, & Epiphaniae Domini Fæti dies, Dominicæ Palmarum, Feria quinta majoris Hebdomadæ, Sabbatum Sanctum, Pascha, Feria secunda post Pascha, Ascensio Domini, Pentecostes, ac etiam tria vel quatuor Deciparæ

Virginis, Nativitatis Sancti Joannis Baptista, ac omnium Apostolorum, & commémoratio-nis omnium Sanctorum, Dedicationis & Anniversarii Consecrationis, aliaque Ecclesiæ Aretinæ prefata principalia Fæta, dies quoque quibus Clericorum ordinatio habetur.

§. 4. Ut autem signum a Nobis, sicut præfatur, concession & indultum, non discrepet assignato; sed quod geritur exterius, interius servetur in mente, Joannem Antonium Episcopum & Successores suos Aretinos Episcopos pro tempore existentes præfatos moneamus, & hor-tanum atrente, quatenus humilitatem & justitiam dante Domino, qui dat præmia, & munera elargitur, servare studeant, quæ earum servant & promovent servatores; ac eamdem Ecclesiam Aretinam eorum Sponsan currente-flicite, authore Domino, spiritualiter & temporaliter augmentare; Et ut concession & Indulcta præfatis pacifice frui valeant, quibusvis Primitibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, usu Pallii & Crucis prælatione præfatis ex Apostolica Sedis benignitate gaudentibus, districtus inhibemus in virtute sanctæ obedientiae, ne Joannem Antonium, & Successores suos Episcopos Aretin. pro tempore existentes præfatos, quovis modo seu prætextu super præmissis audeant quomodolibet molestare, ac usum Pallii hujusmodi, Crucisque prælationem quoquo modo impedire præsumant. Præsentes quoque nostras literas ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod ad id interesse habentes seu habere prætententes vocati, & cause, propter quas eadem præsentes desuper emanaverint, verificatae non fuerint, notari, in ius vel controversiam, seu alias revocari non posse; nec per subreptionem vel obreptionem, aut intentionis nostra hujusmodi defectum, obtentas præsumi, & ob id viribus carere; mihiusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus quantumvis generalibus, ac fortissimis clausulis, & decretis irritantibus roboratis, comprehendendi; sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabut, roties in pristinum, & eum, in quo ante quomodolibet erant, statum, etiam sub data per Joannem Antonium Episcopum & Successores suos Aretin. Episcopos pro tempore existentes præfatos eligenda, plenarie restitutas esse; sive & non alias per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Caularum Palati Apostolici Auditores, ac præfatae S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis & eorum cuiilibet quavis alteri judicandi & interpretandi ac definiendi forma, judicari & definiri debere; irritum quoque & inane, se fucus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, motu simili decernimus & declaramus.

§. 5. Quocirca dilectis filiis, nostro & Se-dis Apostolica Nuncio in Hetruria commoranti, ac Caularum Curiae Camera Apostolica Auditori generali, motu pari per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi aut unus eorum, per se vel alium seu alios easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Joannis Antonii Episcopi præfati seu Successorum suorum Episcoporum Aretinorum pro tempore existentium hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, sibique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque, omnibus, quos illæ concernunt, invio-

Episcopos  
ad foliitam  
Ecclesiæ,  
Gregisque  
curam adhor-tatur.

Hujusmodi  
literarum va-  
lidatio etiam  
quoad obser-  
vantiam.

Sanctissimus  
D. N. omnia  
antiqua Pri-  
vilegia huic  
confirmat  
Ecclesiæ.

Fustem  
Episcopos  
Pallio infi-  
gunt, Crucis  
prælationem  
quoque con-  
cedens.

Affigatio  
dierum ad  
hujusmodi  
Pallii usum.

labiliter observati; non permittentes eos vel eorum aliquem super usum, Pallii & Crucis prælatione hujusmodi quomodolibet molestari; Contradictores quoilibet, & rebelles per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque, super iis habendis, servatis processibus, sententias, censuras, & poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio brachii secularis.

Contrario-  
rum deroga-  
tio.

Non obstantibus fe. re. Bonifacii Papæ VIII. similiter prædecessori Nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, quis vigore præsentium ad iudicium non trahatur: ac aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis: &, quatenus opus sit, Nostra & Cancellariae Apostolicae regulæ de non tollendo jure quaestio: ac quibusvis aliis Apostolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Concilii editis vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus, ac quibusvis quarumcumque Primalium, Patriarchalium, Archiepiscopali, & Episcopali Indulcio, & concessionis similibus respectivo, suffultarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboretur, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarium derogatoriis, alisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere vel in specie, etiam Motu proprio & scientia similibus, ac aliis quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo labore permanens, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, caterisque contrariis quibuscumque.

Seu si aliquibus communiter aut divisi ab eadem sit Sede indulatum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

S. 6. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo aliquius persona in dignitate Ecclesiastica constituta munitis, ea ubique fides adhibetur, quæ eisdem præsentibus adhibetur, si forent exhibita vel ostensa.

S. 7. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostræ absolutionis, concessio-  
nis, indulti, decreti, declarationis, mandati, & derogationis infringere, vel ei aucto temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli se noverit incursum.

Datum Rome apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo, septimo Kal. Novembri, Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Fides Tran-  
sumptorum.

Ac Privile-  
gli hujusfe-  
rervanda di-  
gnitas.

Concessio Privilegiorum pro nonnullis suis Familiaribus.

Similia Privilegia legenda sunt, ab Antecessoribus quoque Pontificibus suis concessa Familiaribus.

### CLEMENS PAPA XII.

Venerabilibus Fratribus Sinibaldo de Apria Patracen, cubiculi nostri Praefecto: Carolo Majella Emessen, literarum nostrarum in forma Brevis, qua ad Principes scribuntur, Secretario: ac Francisco Antonio de Valentibus Theodosien. Archiepiscopis, Datario: Nicolao Augustino de Abbatibus Oliverio Porphyri, Secretarii nostri Praefecto: & Nicolo Albini Leucen, Episcopis, Eleemosynario Secreto: ac dilectis filiis Marcello Pastrari Arienen, Auditori: Paulo Folli Forolivien, Pincerne: Gregorio Aurelio Perusin, Jacobo Leoni Romano, Vestario: Dominico Palazzi Mediolanen, Cajetano Lemer Romano, Gafpari Mecoa Pamponen, Josepho Lavizzani Mutinen, Notarum Arcanarum Secretario: Francisco Landi Placentin, Provincia Bononiæ, Petro Ludovico Jacquet Leodien, Dominico Volpi Baren, Antonio Leprotti Mutinen, Medico Secreto, Cubiculariis intimis seu secretis: & Donato Maria Antoni Florentin, Fratri Milti Magnæ Crucis, ac Bajulivo Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitan: Marchionibus, Alexandro Gregorio Capponi, Forerio Majori: Philippo Astalli, & Andrea Maidalchini Romanis, iidem Cubiculariis secretis: Francisco Maria Spannochii Senen, Subdatario, Angelo Belli Camerenen, Architriclino: Petro Valerii, Romano, Laurentio Sbatti Sabinen, Cajetano Panicci Ugentin, Francisco Cajetano Diversini Romano, Joanni Barba Neapolitan, Thomæ Alexio de Rubeis Neriton, & Venantio Philippo Pierfanti Camerenen, Cappellani Secretis: Cajetano Cardoni Romano, & Horatio Antonio Battari Veliternen, Clericis Secretis: & Josepho Maria Cardoni Lucen, Antonio Civile, Carolo Sciamagna, Joanni Giandotti, Petro Pozzi Romanis, & Joanni Orbiccianni Lucen, cubiculi nostri Adiutoribus: necnon Donato Antonio Civitella Beneventan, Magistro Domus nostræ, & Antonio Durani Montislasconen, respectivo Civitatum, vel Dicecesum, Clericis seu Presbyteris vel Laicis, Palati nostri Apostolici, Racionatoris, familiaribus continuis commensalibus nostris: salutem & Apostolicam benedictionem,

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos & fideles suos, illos præsertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id aliis propriâ virtutum merita commendant, honoris & famæ amplioribus præconiis ac præclaris dignitatum titulis decorare & ornare; necnon specialis benevolentiae favoribus amplecti folet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

S. 1. Hinc est, quod Nos ad grata familiaritatis obsequia, que vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, & quilibet vestrum nobis haec tenus impendistis, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistis; necnon ad vitæ ac morum honestatem, aliaque laudabili probatatis & virtutum merita, quibus personas vestras etiam familiari experientia juvare perceperimus, condignam rationem habentes; ac propterea easdem personas vestras pecu-

liares

Familiares  
suos nonnulli-  
lis exornat  
Privilegii.

Exordium.

Dat die 25.  
Novemb. Anno  
1730. P. I.